



Universitätsbibliothek Paderborn

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij
Francisci Lamberti Auenionensis**

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Secvnda. Secundo, uidit aliam plagam, signatam per ignem
deuorantem abyßum multam ac parten: orauit q[ui] ne fieret, & axauditus
fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

COMMENTAR. CAPVT VII.

ueritatem & fidem, ac terrarum amissarum & dissipata
rum instauracionem, ueramq; salutem.

Oravit autem multa cum fide, & exauditus est. Pro-
misitq; illi Dominus, malum quod signabat uisio, minime
futurum. Vide efficaciam fidelis orationis, & quam inef-
fabilis sit bonitas Dei. Nequaquam enim differt exaudire,
in fide precantem. Nimisrum promptior est ad exhiben-
dam misericordiam, quam nos ad eam postulandam.

P A R S S E C V N D A.

Hæc ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce
uocauit iudicium ad ignem Dominus Deus,
& deuorabit abyssum multam, & comedet
simul partem. Et dixi: Domine Deus, quies-
ce obsecro. Quis suscitabit Jacob, quia pa-
vulus est. Misertus est Dominus super hoc.
Sed & istud non erit, dicit Dominus Deus.

PRescriptam de locustis uisionem quidam ad literam
capiunt, alij de Rege Assyriorum decem tribus capti
uante. 4. Reg. 17. hanc autem de iudicio ignis, de exer-
itu Chaldeorum Hierosolymam incendente enarrat. Sed
nullatenus congruunt istæ expositiones. Primum, quia u-
traq; uisio totum contingit Israëlem: Secundo, plague per
utrasque uisiones signatae reuocatae fuerunt.

Igitur hac secunda uisione, ostendit Amos Deus, quod
H 5 pro

FRANC. LAMB. IN AMOS

pro demeritis populi, uellet mittere saeuissimum iudicium
ignis, ad deuorandum Jacob, et abyssum, siue aquas mul-
tas, hoc est, populos. Quandoquidem aquarum nomine
sepius capiuntur. Vnde Apocalypsis decimo septimo. A-
qua quas uidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, et gen-
tes, et urbe, et lingua. Et comedet simul partem. Non
satis liquet quid uelut per partem adcipi, nisi aquarum, id
est, populorum partem intelligas, quas in uisione conspi-
ciebat mox igne consumi.

Quidam putant hanc plagam coepisse, sed postmodum
Amos deprecante, cessasse, propterea quod ipse depre-
cans, ait: Desine, uel quiesce Domine. Sed huic expo-
sitioni aduersatur, quod post fidelem Prophetæ oratio-
nem, Dominus ait de ipsa plaga, per uisionem designata.
Hoc non erit. Nam si eiusdem plague fuit aliqua pars, quo-
modo uere dicitur, quod ipsa plaga omnino non fuerit
Fuit indubie incendium in Israël, uerum non illud quod
per hanc uisionem designabatur. Quod superest enara-
randum, habes in praecedenti uisione.

P A R S T E R T I A.

Hæcostendit mihi Dominus Deus: Et ecce
Dominus stans super murum litum, et in ma-
nu eius trulla cementarij. Et dixit Dominus
ad me: Quid tu uides Amos? Et dixi: Trul-
la